



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Speculum Approbandorum Bipartitum

Unczovsky, Marianus

Coloniæ Agrippinæ, 1693

Quæstio XIII. De Sacramentali Confessione quoad Circumstantiam
temporis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37308

QUÆSTIO XIII.

De Sacramentali Confessione quoad
circumstantiam temporis.

Vicar. **Q**uæro: an præceptum Divinum confessionis obliget per se loquendo etiam extra articulum, & periculum mortis?

S. Obligat prout eruditè expressit D. Subtil. in 4. Sentent. dist. 17. Q. unica artic. 8.

U. Videtur mihi præceptum Divinum de confessione obligare per se, quando ex ejus dilatione oriretur probabile periculum oblivionis peccatorum, vel circumstantiarum?

S. Admissâ hac obligatione, multi (maximè suorum delictorum facile immemores) tenerentur frequentius, quàm semel in anno confiteri, quandoquidem facile intra unius anni spatium occurrat tale periculum oblivionis.

U. Sed quomodo cum tali periculo

sal-

salvabitur integritas confessionis Jure Divino præcepta, ad quam peccatorum recordatio est necessaria?

S. Sufficit ad integritatem confessionis aperire Sacerdoti omnia peccata, quæ post diligentem discussionem, seu conscientiae examen menti occurrunt.

U. Necessaria est in hunc finem confessionis anticipatio?

S. Ergo etiam necessaria erit peccatorum statim ac sunt commissa scriptio, nè oblivioni tradantur.

U. Nonnè qui timet se non amplius habiturum copiam Confessarij, Jure Divino confiteri tenetur? ergo etiam qui timet se non recordaturum delictorum suorum?

S. Non est paritas, in primo enim casu timens judicat fore ultimam commoditatem confitendi, ideoque tanquam ultimam tenetur non negligere, nè se exponat periculo decedendi absque Sacramento; at in secundo casu tale periculum non est.

H

U. Quan-

U. Quando ergo per se loquendo obligat præceptum Divinum de confessione extra periculum vel articulum mortis?

S. Non est designatum aut determinatum tempus ab ipso Legislatore CHRISTO, sed ab Ecclesia, cui CHRISTUS commisit potestatem determinandi.

U. Unde id colligis?

S. Ex *Concil Lateran. sub Innocent. III. & Trid. Sess. 14. c. 5.* ubi lego præceptum confessionis saltèm semel in anno ab omnibus & singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, debere impleri.

U. Ergo annua confessio quoad substantiam considerata, ità est de Jure Divino, ut tamen quoad circumstantiam, & determinationem temporis sit tantùm de Jure Ecclesiastico?

S. Omnino, sed non prout scribit *Du- randus in 4. dist. 17. Q. 14.* per modum consilij tantùm, quandoquidem Ecclesia statuatur sub impositione pœnarum

rum pro transgressoribus, quod fieri non solet, nec debet in consilijs propriè dictis: adverte itaque quòd si circumstantia temporis in servandis præceptis, ac institutionibus Divinis non specificetur immediatè à DEO, relinquatur iudicio ac arbitrio Summi Pöti- fici, & Ecclesiæ, prout patet in opi- nione volentium jejunium esse de Ju- re Divino, cujus tamen servandi tem- pus Ecclesia determinavit.

U. Si per Concil. Lateran. determina- ta fuit annua confessio, infero ipsam ante hoc Concilium non fuisse annuè practicatam.

S. Octingentos annos numerat Scotus, in 4. dist. 17. Q. 1. art. 1. antecessisse ci- tatum Concil. quo tempore inquit prædicatam fuisse à S. Augustino ne- cessitatem confessionis Sacramentalis, prout habetur de Penit. dist. 6. & fortè non erat necessaria prisco illo tempo- re nascentis Ecclesiæ, cujus præcepti determinatio, quia fideles in via DEI

H 2

fer-

ferventiores Communionem Eucharisticam frequentabant communitate & hac occasione sæpius confitebantur: progressu autem temporis, cum fideles fervore charitatis, ac Divina dilectionis extincto, à Communionem frequentanda paulatim recederent, & confessionem Sacrament: peragere negligerent, idcirco Ecclesia, ut tanto damno occurreret, Communionem Eucharisticam, & confessionem Sacrament: semel in anno fieri determinavit, sub pœnis contra contemntes in Trid. expressis.

U. Peto: an qui habet sola venialia, teneatur illa vî hujus præcepti Ecclesiastici confiteri?

S. Non, quia præceptum Ecclesiasticum de annua confessione est tantum determinatio præcepti Divini quoad circumstantiam temporis, quam CHRISTUS Ecclesiæ determinandam reliquit absq; immutatione materiæ confessionis, quæ immutatio foret, si fidelis habens

bens
cien
nere
& no
que c
dè ab
gatio
non e
non n
U. Q
scet v
tur ac
habet
S. Di
Paroc
gratia
fessus
ti mo
cratig
cient
Vasq.
dist. 5
quæsi
dist. 1

bens solum venialia sine mortali ad faciendam confessionem annualem teneretur, tunc enim materia sufficiens & non necessaria fieret necessaria, utique qui illa confiteri vult valet, & valide absolutionis effectum recipit, obligatio tamen Ecclesiae ad ea confitenda non est utpote materiam poenitentiae non necessariam, licet veram.

U. Quomodo ergo Parochus cognoscet vultum pecoris sui, si non teneatur ad confitendum venialia, qui non habet conscientiam mortalis?

S. Dico cum Scoto sufficere, quod se Parocho praesentet dicens: *Domine gratias ago DEO, quia ex quo ultimo confessus fui, non habeo conscientiam peccati mortalis, date mihi Eucharistiam Sacratissimam*, in quo actu haberet sufficientem notitiam pecoris sui: vide Vasq. Q. 90. artic. 2. Bonacin. de Penit. dist. 5. Q. 5. Sect. 3. Occasione hujus quaestio, noto ex subtili Doctore in 4. dist. 17. Q. 1. ad ultimum principale,

quòd si post Ascensionem Domini S. Petro statuta ac praecepta fuisset pro fidelibus confessio annua tali vel tali die, huic praecepto satisfecisset immunitatis ab omni peccato DEI para praesentando se coram ipso, vel alio Apostolo humilitatis causa, sicut se praesentavit in templo, ut legem impletet, licet purificatione non indigeret.

V. Quæro: quomodo computandus sit annus, intra quem obligat praeceptum confessionis?

S. Sive computetur à 1. Januarij usque ad ultimam Decembris, sive à tempore Paschali usque ad alterum Paschale tempus, uterq; modus computandi est bonus.

V. Admisso tali computu possent quis differre confessionem ferè per biennium, ut si v. g. fuisset quispiam confessus hoc anno 1693. 1. Januarij possent differre confessionem usq; ad ultimam Decembris, anni 1694.?

S. Hæc dilatio potest transire absq; incon-

convenienti, sicut enim absq; incōveni-
nienti satisfaceret præcepto de reci-
tandis horis Canonicis, qui per duos
ferè dies Breviariũ non recitaret quod
eveniret, si quis hodie statim post di-
midium noctis totum Breviarium ab-
solvisset, crastinum verò recitaret pri-
mò ante duodecimam noctis crastinæ)
similiter adimpleret præceptum con-
fessionis annuæ ille, qui juxta compu-
tum specificatum confessus in princi-
pio unius anni, altera vice confitere-
tur in fine alterius: & licet in meo Do-
ctore Subtili tractante de confessione
Sacrament: semel in anno facienda le-
gam: *ly & istud semel videtur ad minùs
esse circa Pascha*, hoc tamen intelligo
tanquam piũ ac fructuosum, non au-
tem tanquam simpliciter necessarium.
V. Si satisfaceret præcepto confessionis
annuæ quocunq; tempore anni, sinè
causa denunciarentur veluti excom-
municati, qui non confitentur deter-
minatè tempore Paschali, quæ tamen

denūciatio apud Parochos est in praxi.
 S. Hęc denūciatio non practicatur di-
 rectè propter confessionem neglectam
 eo tempore (quandoquidem confor-
 miter ad dicta contingere possit, ut fi-
 delis accedere valeat ad sumendam
 Eucharistiam in Paschate, sinè con-
 fessione prævia) verùm propter Com-
 munionem tempore Paschali facien-
 dam.

U. Peto: an qui omisit confessionem
 per unum annum, teneatur anno se-
 quenti quamprimùm confiteri?

S. (Quidquid dicant alij) adhæreo Sen-
 tentiæ affirmatiuæ, quam docent *Suar.*
l. 4. Diss. 36. Sect. 4. Tolet. lib. 1. c. 8. Hen-
riq. lib. 4. Navar. & alij, quorum ratio
 est, quia juxta praxim Ecclesiæ ex-
 communicantur illi, qui hoc præcep-
 tum intrà annum non implent, nec
 possunt ab excommunicatione absol-
 vi, nisi confiteantur, ergo signum est,
 quod teneantur quamprimùm confite-
 ri anno sequenti, atq; ità se comuni-
 oni fidelium restituere.

U. Sed

U. Sed præceptum affirmativum (quale est in casu) obligans pro determinato tempore, si intrà illud tempore non impleatur, transacto illo tempore non amplius obligat, ut patet in eo, qui violasset præceptum de recitatione hodierni Breviarij, talis enim non obligatur ad illud Breviarium hodiernum cras recitandum, igitur præceptum confitendi obligans pro hoc anno si non servetur hoc anno, non obligabit pro anno sequenti.

S. Utiq; verum est aliquod præceptum obligans pro determinato tempore, non obligare transacto illo tempore, non tamen omne, si enim determinatio temporis ità facta est per præceptum affirmativum, ut cum illo tempore expiret obligatio præcepti ex mente Legislatoris, tunc absq; dubio tale præceptum transacto tempore non obligat, & tale est præceptum recitandi quotidie Breviarium, audiendi Sacrum diebus festivis, jejunandi certis

Hic die-

diebus &c. si autem determinatio temporis ita per præceptum facta est, ut usq; ad finem illius temporis differri quidem possit executio obligationis, non autem ut cum illo tempore simul extinguatur obligatio præcepti, tunc tale præceptum etiam transactio illo tempore obligat, & quamprimùm est implendum, & tale est præceptum annuæ confessionis, ut colligi potest, tum ex circumstantia & fine præcepti intendentis frequentiam confessionis, tum ex annexa pœna excommunicationis, à qua transgressor absolvi non potest, nisi confiteatur, etiam post elapsam tempus annuum; ideoq; talis excommunicatio non est præcisè pœna peccati præteriti, sed est simul coactio ad exequendam quamprimùm confessionem omissam: si enim esset præcisè pœna peccati præteriti, posset excommunicatus ab ea absolvi etiam extra Sacrament: Pœnit: ut bene observat *Lugo*. Quare videtur mihi an-

na-

nuale præceptum confessionis simile illi, quo princeps aliquis præcipit singulis subditis tributum quodpiam singulis annis suo ærario inferendum, cuius præcepti obligatio non expirat per neglectam illo anno pensionem, sed tenetur quis ad illam quamprimùm anno sequenti faciendam.

U. Ex dictis tuis infero, quòd is, qui decem v. g. annis confessus non est, undecimo anno obligabitur ad decem confessiones faciendas?

S. Non: cùm enim in una eademque confessione (prout tenetur) explicet omnia & singula delicta mortalia, intra decennium commissa, & per requisitum examen conscientia in memoriam revocata, adeoque subjiciat clavibus tantum, quantum sufficere debet, per unam duntaxat confessionem factam ut oportet, satisfacit, sicut neque ille, qui per unum annum confessionem omisit, sequenti anno ad duplicem tenetur, sed per unam

fatisfacit præcepto utriusq; anni. Hoc tamen ita intelligo, quod pœnitens accederet, non tantum cum peccatis mortalibus anni præteriti, sed etiam subsequenti, quo confiteretur: si enim non haberet ullum peccatum mortale commissum anno sequenti seu currenti, tunc per unam confessionem altero currente anno factam satisfaceret præcepto solum *conditionatè*, si nempe post eam confessionem non commiserit anno currente ullum novum mortale, si enim deinceps aliquod commiserit currente anno, tenebitur illud confiteri eodem anno currente; & ex hoc meo responso jam patet, qualiter discurrendum sit cum eo, qui negligendo confiteri per decem annos undecimo tandem conversus ad Deum confiteretur.

U. Ponamus casum, quod aliquis confessus penultimo die anni omnia mortalia illo anno commissa, relabatur in novum mortale antequam elabatur di-

es

es ultima ejusdem anni, putasne talem obligatum esse adhuc semel illo anno confiteri?

S. Existimo non esse obligatum, siquidem Concil. Lateran. & Trident. obligant tantum ad unam confessionem intra annum.

U. Nonne Ecclesia præcipit, ut fideles omnia peccata mortalia intra annum commissa, & nondum confessa semel in aëno confiteantur? illud autem peccatum mortale ultimâ anni die commissum nec dum esset per confessionem expiatum?

S. Adverto præceptum Ecclesiæ intelligendum esse de peccatis omnibus commissis usq; ad finem anni, adeoq; peccata, quæ post confessionem semel factam, iterum committuntur ante finem ejusdem anni, possunt differri ad confessionem anni sequentis.

U. Videtur mihi tamen Sententia affirmativa securior?

S. Et mihi, utramq; tamen probabilem
ju-

judicat *Suar. Disp. 36. Sect. 3. n. 9. & 10.*
 7^a. Occasione dictorum quæro: an si
 quispiam ob prævisum impedimen-
 tum præveniret Paschalem confes-
 sionem (prout facere tenetur, si impe-
 dimentum illud per totum Paschatis
 tempus duraturum existimetur) postea
 autem eodem tempore Paschali bona
 se offerret occasio communicandi de-
 beret vî præcepti Ecclesiastici in Pa-
 schate repetere Sacram. Communem.
 S. Probabilius judico talem obligari ad
 iterandam Sac. Communem, ob-
 latâ occasione intrâ tempus Paschale,
 itâ *Lug. de Eucharist. dist. 16. n. 70. &*
alij; datâ namq; tali commoditate non
 videtur satisfactum præcepto Comu-
 nionis Paschalis per illam Communi-
 onem præcedentem, ideoq; restat ad-
 huc implendum, esto præceptum an-
 nuæ confessionis sit extinctum, præ-
 terquam quòd præcepta Ecclesiæ gra-
 via, si impleri possunt, graviter obli-
 gent, tale autem est præceptum Com-
 mu-

munionis Paschalis, ergo si adimpleri poterit, erit gravis obligatio illud implendi: neq; par ratio est pro præveniente, ac pro differente, quia factâ dilatione ex rationabili causa non potest amplius satisfieri præcepto, bene tamen post præventionem, si optima occasio ad satisfaciendum Communioni Paschali se offerat, prout supponitur se offerre in casu.

QUÆSTIO XIV.

In qua adhuc nonnulla proponuntur de Confessione Sacramentali quoad eandem circumstantiam temporis.

Vicar. **M**ulta adhuc mihi occurrunt proponenda circa præsentem materiam.

Sac. Meum desiderium respondere ad singula.

V. Quid si confessio esset invalida & sacrilega, putasne per eam satisfieri posse præcepto Ecclesiastico de confitendo annuè?

S. Le-